



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.  
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi  
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

**Rodrigues, Manuel**

**Lvgdvni, 1621**

Graduatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41743**

ciali, vel Ordo sine suo Generali.  
*rom. 1. quest. 10. art. 1.*

Generales Ministri habent iurisdictionem ad modum Patriarcharum, seu Primatum (differunt autem Patriarcha, & Primas solo nomine) Prouinciales ad modum Archiepiscoporum, Custodes ad modum Episcoporum; Guardiani autem sunt sicut Archi-Presbyteri, & Confessores sicut Parochi, seu Presbyteri. *rom. 1. q. 12. art. 5.*

## GRADVATIO.

*Vide Confessarij quoad praesentationem.*

**P**ossunt Clerici post Clericatum, & etiam Monachi ad Doctoratus gradum in iure civili promoueri, si ante Clericatum, & Monachatum ei operam dederint. *rom. 2. q. 74. art. 1.*

*Bonifacius IX.* concessit Magistro Generali Ordinis Praedicatorum pro tempore existenti, quod in quolibet Capitulo generali dicti Ordinis, vni ex Fratibus in Theologiae facultate prouecto, modo per Generalem & Diffinitores Capituli, vel aliquos

GRADVATIO. 195

aliquos Magistros ad hoc assumen-  
dos, diligenti examine sufficiens, &  
idoneus inuentus fuerit, Magisterij  
honorem, & docendi licentiam, ser-  
uatis conditionibus Concilij Vien-  
nensis, & aliis solemnitatibus in ta-  
libus cōsuetis largiri possit: Fruetur-  
que taliter Graduatus omnibus gra-  
tiis, priuilegiis, libertatibus Fratrum  
eiusdem Ordinis, qui in eadem  
Theologia Parisiensi sunt Magistri,  
ac si ibi gradum & huiusmodi Ma-  
gisterium recepisset. *ibid.*

*Martinus V.* præcepit vniuersis  
Cancellariis, Magistris, & Doctori-  
bus studiorum, ne Fratribus Mino-  
ribus, seu alicui eorum gradum &  
honorem monasterij conferre præ-  
sumant, nisi cursum per constitu-  
tiones Apostolicas & Ordinis in-  
stituta perfecerint, & aliàs ad di-  
ctum gradum obtinendum idonei  
existent. Si quis autem præter ri-  
gorem huiusmodi gradum suscepe-  
rit, voluit vt honore magisterij ca-  
reat, ac lecturis & actibus, gratiis-  
que magistralibus ipso facto priua-  
tus existat, & ad eadem de cætero  
inhabilis. *art. 2.*

Licet cum Prælati licentia graduari possint Monachi, *Innocentius* tamē VIII. statuit, quod nullus Frater Ordinis Prædicatorum Reformatorum, seu de Observantia, Provincia aut Congregationis Hispaniæ magisterij seu alium quemcunque gradum in sacra Theologia (nisi ad illud per Capitulum dictæ Congregationis expositus fuerit) quoquo modo assumere præsumat; & quod si qui aliter promoti fuerint, pro non promotis habeantur, & ad huiusmodi gradus inhabiles sint. *art. 3.*

Supradicta *Innocentij VIII.* constitutio locum habet, licet perfecterint cursus suos, ac sententias legerint in Vniuersitatibus approbatis, & actus legitimos, cæteraque exercitia scholastica fecerint, prout facere & legere de consuetudine, vel de iure in huiusmodi tenentur. *ibid.*

Potest Præpositus Generalis Societatis, vel de eius licentia quilibet ex Præpositis, vel Rectoribus Collegiorum cum duobus vel tribus Doctoribus vel Magistris per eosdem eligendis, graduare suos scholares, abso

G V A R D I A N I. 197

absoluto tamen suorum studiorum casu, rigorosè præcedente examine. Quicumque autem modo prædicto promoti fuerint; gaudere poterunt omnibus priuilegiis, & prærogatiuis, quibus gaudent, qui in Vniuersitatibus iuxta solitos inibi vsus promouentur. *art. 4. & 5.*

Nomine scholarium hic intelliguntur scholares qui sunt de Societate. *art. 4.*

G V A R D I A N I.

*Vide Custos, Diffinitores, Electio, Excommunication, Reseruatio casuum, Vicarius.*

Guardiani, & cæteri Conuentuales Prælati, vt Rectores, Priores, &c. sunt verè Prælati habentes dignitatem Ecclesiasticam, Vicarij autem tunc tantùm sunt Prælati, cum præsidente Conuentibus, qui propter paucitatem Fratrum, nomine Guardianatus minimè appellantur, sed nomen Vicarij illis tribuitur, alias non sunt Prælati. *tom. 1. q. 12. art. 6.*

Guardiani, & similes Conuentuales Prælati, cum sint inferiores

N 3

Præla